



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCLXXXV. Die Churfürsten, darunter Markgraf Otto von Brandenburg,
berichten an den Papst über dieselbe Königswahl, am 28. Juli 1298.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

nostra et principum aliorum devictus infantia, nec non totius populi acclamantis laudabilibus desiderijs superatus, tam onerosi regiminis sarcinam subeundo huiusmodi electioni de se celebrata legitime annuit et consensit. Quapropter, pater sanctissime, ut de regis sic electi persona sacrosancte Romane ecclesie matri nostre piissime nova gaudia cumulentur, presertim cum idem rex sit fide Catholicus, ecclesiarum amator, iustitie cultor, consilio pollens, proprijs potens viribus et multorum potentum affinitate connexus, Deo, ut opinatur, amabilis, et humanis aspectibus gratiosus, ac insuper corpore strenuus et in actibus bellicis contra perfidos fortunatus, propter quod speramus in eo, qui reges et regna constituit, ut sub eius principatu pacifico quies regno proveniet, pax ecclesijs, concordia plebibus, et moribus disciplina, dictum regem, vestrum et sacrosancte Romane ecclesie devotum filium, paterno vestre sanctitatis applausu suscipientes, ipsum favore et benignitate solita, in sibi commisso regimine dignemini gratiosius confovere; quem procul dubio sentietis intrepidum sancte matris ecclesie pugilem et invictum Katholice fidei defensorem. Devotum igitur sancte matris ecclesie filium per nos ceterosque principes electores, tam rite, tam provide sic electum gratiose et benivole prosequentes ac ex affluentem paternam dulcedinem pietatis misericorditer amplectentes eundem, cum sanctitati vestre placuerit et videritis opportunum, ad imperialis fastigij dyadema dignemini evocare, ut sciant et intelligant universi, quod posuerit in lucem gentium vos Dominus et per vestre sanctitatis arbitrium orbi terre post nubilum exoptata serenitas elucescat. In cuius rei testimonium sempiternum et evidentiam pleniorum presentes literas conscribi et nostri pendentis sigilli munimine iussimus roborari. Actum et datum in Franchenvurte, anno Domini MCCLXXXVIII. V. Kalendas Augusti, indictione XI.

Nach dem Original im K. K. Geh. Hof- und Staats-Archiv in Wien. — Perz, Monumenta historica Germaniae IV. Leg. II. 467.

CCLXXXV. Die Churfürsten, darunter Markgraf Otto von Brandenburg, berichten an den Papst über dieselbe Königswahl, am 28. Juli 1298.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo, domino Bonifacio, sacrosancti Romane ecclesie summo pontifici, Boemundus Dei gracia Trevirensis, Gerhardus Maguntinensis, et Wicholdus Colonienfis ecclesiarum archiepiscopi, Rudolfus comes palatinus Rheni, dux Bavarie, Albertus dux Saxonie, et Otto marchio Brandenburgensis, Romanorum regis et antiqua consuetudine electores, devota pedum oscula beatorum. Vacante iam pridem Romano regno per mortem dive recordationis domini Adolphi, quondam Romanorum regis, nos principes prefati apud Maguntiam pro salubri status imperii reformacione, et pro celeri Romanorum regis futuri creacione, nec non propter evidentem totius rei publice utilitatem et urgentem sacri imperii necessitatem convenientes — wie in der vorstehenden Urkunde. Datum et actum apud Franchenford, anno Domini MCCXC. V. Kalend. Augusti, indictione XI.

Nach dem Original des K. K. Geh. Hof- und Staats-Archives in Wien. Auch in Perz Monumenta hist. Germaniae IV., Leg. II., 467. Die ausgelassenen Stellen dieser Urkunde stimmen mit der vorigen überein.